



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens primos 25. Psalmos

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, [1761]

VD18 15558428-001

Psalmus XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)



PSALMUS XI.

Titulus: *In finem pro octava, Psalmus David. Vide Pf. VI.*

Argumentum: *Fidendum Deo, non hominibus, quorum verba plerumque sunt fallacia.*

℣. 1. *Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum.*

Tu, Domine, à periculis omnibus salva me; nec enim in alio possum fide-
re: nam vix invenitur aliquis *sanctus*, h. e. verè pius, & misericors, aut qui ve-
rum simpliciter dicat. Itaque perit ferè de terrâ misericordia, & veritas.

℣. 2. *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde & corde locuti sunt.*

Utrumque defectum jam probat. Primò non loquuntur proximis uilia, & bona, sed vana, quæ à periculis eruere non possunt. Dein *labia dolosa*, h. e. homines dolosi *in corde*, & *corde*, h. e. duplici corde locuti sunt, unum volentes



loqui, & aliud volentes facere, & sic decipere.

¶ 3. *Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam.*

Imprecatio est prophetica. Prædicit, fore, ut omnes, qui decipiant, decipiantur; & dum putant se multum lucrari suis fraudibus, perdant omnia, & seipsos. *Linguam magniloquam*, h. e. jactantem se ob suos dolos, ut patet ex ¶ seq.

¶ 4. *Qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?*

Explicat, cur conjunxerit linguam magniloquam cum labiis dolosis, quia hi fidunt maximè in lingua, ut nullà alià re indigere se credant. *Qui, dolosi, dixerunt* in animo suo, linguam nostram magnificemus, illi tribuentes omnia nostra bona, quæ per illam lucratur. Labia nostra pro nobis faciunt, pugnant. Nec ullum agnoscimus superiorem, cum per instrumentum linguæ omnes alios subjiciamus.

¶ 5.



ŷ. 5. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.*

Docuit non esse confidendum in homine; jam docet confidendum in Deo, quem poeticè inducit loquentem. *Propter miseriam inopum*, qui à dolosis decipiuntur, & affliguntur, unde & gemere necesse habent; non differam auxilium, sed *nunc exurgam* quasi à fomno, eisque adero.

ŷ. 6. *Ponam in salutari, fiducialiter agam in eo.*

Stabiliam eos in salute, ut semper consistent; nec ullus me impediet, audacter, & liberè agam in hac re.

ŷ. 7. *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuobulum.*

Ratio, cur fidendum Deo: *Eloquia*, h. e. promissiones Domini, *casta*, h. e. munda, pura, non fucata, non simulata, ut promissiones hominum; sed sincera, fidelia sicut argentum verissimum in sono, pondere, & candore; approbaturum à populis terræ, peritis metallorum, & sæpius à scoriâ purgatum.

ŷ. 8.



ψ. 9. *Tu Domine servabis nos, & custodies nos à generatione hâc in æternum.*

Juxta promissa tua, Domine, semper nos servabis, & custodies.

ψ. 9. *In circuitu impii ambulant: secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.*

Quasi quæreret aliquis: Quid de impiis fiet, dum tu servabis nos? R. Impii interea, dum nos securi sumus sub alis tuis, in circuitu ambulant, semper ambientes bona hujus Mundi, & nunquam satiandi. Et cum Deus secundum altitudinem suam, sollicitudinem gessit de specie humanâ conservandâ; & quia in magnâ multitudine, paucorum est perfectio, cum numerus stultorum sit infinitus, ideo, & ubique inveniuntur impii, in circuitu ambulantes.

PSALMUS XII.

Titulus: *In finem, Psalmus David.*

Argumentum est oratio ad Deum tempore tribulationis.

ψ. I.